

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

400

De
RETICENTIA.

Quam
SUB PRÆSIDIO ALTISSIMI

Silentium

Ex Decreto & Consensu

MAGNIFICÆ, EXCELLENTISSIMÆ & CON-
SULTISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ, IN CELEBER-
RIMA DUISBURGENSI ACADEMIA,

P R O

Summis in Utroque Jure Honoribus & Privilegiis
Doctoralibus, legitimè impetrandis,

Publico exhibet

BENJAMIN SCHNEIDER
ASCANIUS.

Ad diem 10. Julij.



DUISBURGI ad RHENUM,
Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typogr.
ANNO M. DC. LXXI.

ILLUSTRIBUS ET GENEROSISSIMIS
DOMINIS,
DN. GEORGIO DIETE-
RICO NOBILI DOMINO DE
RONDEC, IN SAXENBURG, SERENISS.
ADMIMISTRAT. MAGDEB. CONSILIARIO IN-
TIMO, PRÆSIDI, ET CAPITANEO DUCA-
TUS QVERFURTENSIS SU-
PREMO.

DN. JOHANNI DIETERI-
CO NOBILI DOMINO DE
RONDEC, IN SAXENBURG, EJUSD. SE-
RENIT. CONSILIARIO ET COMITATUS BAR-
BIENSIS ET BARONIÆ ROSENBURGEN-
SIS CAPITANEO.


PATRONIS SUIS MAXIMIS

humillimè dedicat hoc exerci-
tium inaugurale

Autor.



B. L. S.



Estinaveram hanc materiem in plures paginas : Sed tempore præventus & aliis destitutus fui. Ideo jam vix prælibamenta sine allegatis, præjudiciis & quæstionibus trado, & ut ea inter proximam uberiolemque amplissimæ segetis hujus spem boni consulas, oro.

C A P. I.

Non accipitur h. l. reticentia pro semivirtute ^{ἔτυμον} Ethica nec 2. pro ^{ἀποκρυφία} Politica prohibita & defn. nec 3. pro non respondendi contumacia partim in civilibus, quantum ad litis contestationem fictam s. interrogationem, s. alios actus juris; partim in criminalibus, quantum ad torturam, urphedæ præstationem, ut vel lex, s. judex, s. lictor, vel carnifex illum suppleant. Nec 4. pro patientia ut aliquid fiat s. non fiat, unde post tertio jus usucapionis s. alterius exceptionis quæritur. Nec 5. pro dissimulatione quæ est cum scientia ut in injuriis, nec 6. pro facultate s. jure occultandi. Sed 7. pro occultatione, *verschweigung*/circumstantiarum dicibilium circa contractus & negotia. Quo sensu ita definiri potest: occultatio voluntaria ejus, quod mentis conceptui vel intelligendo vel volendo disconvenit, scire tamen contrahentis interest.



C A P. II.

Dist. & divis. §. I. **D**istinguitur 1. in mandatam, prohibitam, & permissam. Mandata est 1. in teste: post depositionem ratione dictorum, 2. In advocato: ratione secretò ipsi creditorum à cliente vel cognitorum ex actis privatis. 3. Clerico s. Sacerdote: ratione eorum quæ fidei ipsius & conscientiæ commissa sunt, 4. & 5. Vasallo & officialibus: quoad arcana Domini. 6. Tutore: quoad angustiam vel ubertatem patrimonii pupillaris. 7. Inventore famosi libelli: quoad publicationem. Prohibitæ exempla sunt: in non denunciante delictum publicum quod puniri reip. interest s. patratum s. patrandum: & subdividitur in simplicem & qualificatam. Illa est simplex ommissio denunciationis, hæc cum receptatione, s. rerum, ut furtivarum, raptarum: s. personarum, v. g. fugitivarum, dissolutarum, aliove modo corruptarum, dum se jam potestati dominicæ, jam patriæ jam jurisdictionali subtrahunt, ut monachi, filij. servi, subditi, aleatores s. alias illicita tractantes, vel delinquentes, ut scientes falsos monetarios, majestatis rebellionisq; reos, & post delictum receptantes. Reticentiæ hæc qualificata iterum alia est nuda alia cohærens cum participatione lucri pœnæque subjacet, tam in agnatis quam extraneis. Criminis patrandi qui scientiam habet nec tamen defert obligatur æquè in conscientia ac foro, puniturque graphicè si majus inde malum secutum s. secuturum ut in conspiratione, &c.

Permissa: in *agnatis & proximis* delinquentem occultantibus: (susceptio propriè est,) ita ut tales, ne quidem sub juramento ad manifestandum cogi possint, *Pœnitentibus* citra dolum, *Contrahentibus* & extremū & minimum in pretio secundum sobriam mentem

bro-

brocardici: quod decipere liceat se invicem: non indicantibus. *Viventibus cum barbaris, hostibus s. perfidis* quoad cautam dissimulationē religionis; *Medicis* propinantibus medicamenta *δυσκωλα*, item: non indicantibus morbi gravitatem, mortis præsentiam, furiosos melancholicos & alios lepidè decipientibus: *Magistratu*: ad salutem publicam vel præcavendum majus malum, quo casu & mentiri fas est. *Privato*: cum vitam, famam, aliter defendere; aliumque à malo divertere nequit: vel cum certum est, eum, cui reticetur, talem fictionem tandem bene accepturum, vel utilitatem inde habiturum, sic officiali fas esse dicunt aliquando fingere Principi suo læta, reticere tristia, idque bello crebrum, quod famâ constat. Licitam quoque faciunt eam, quâ *deceptus non capitur, it: quâ eruditur curæ nostræ traditus, s. ad evitandam iniquam interrogationem. Hoste*, cui fictiones in vexillis, signis, vestibus æquè integræ habentur ac alii doli quorum plenus Ulysses, plenus Themistocles, Hannibal & alii. Quales olim non tantum in hoste, sed & quovis impuniti erant, excepta tutelâ, lege Lectoria, & Judiciis. *Advocatis*: in solertia causarum, jam reticendo, jam fingendo. Qualis lepida Pylei introducentis tegularios quasi mutos: jam reservando jura firmiora in ultimam positionem: jam alia industriæ specimina edendo, tendentia ad honestum scopum & venientia nomine *δεινότητι* & non *πανουργίας*. *Necessitas quoque & justus periculi metus* v. g. dignitatis, familiæ, religionis, operantur reticentiam: quod fit in concursu plurium malorum: *τὰ ἐλάχιστα γὰρ ληπτέον τῶν κακῶν*. Necessitati par est *μεσότης*, quæ in rebus est non existentibus semper de genere malorum sed quibus accidit vitiositas. *It: Finis*: quæ ad finem tendunt bonum, cum sana ratio-

ne: ἀπατέων ἐκεῖν ὅ αν' εἴη καλεῖσθαι δικαίως ὁ τῷ πρῶτῳ κρι-
κρίμεν ὁ ἀδίκως, ἔχ, ὁ μεθ' ὑγιᾶς γνώμης τῶτο ποιῶν, ut cum lau-
de de his dici possit ἀπαταῖ μὲν, ἀπατέων δὲ ἕκ ἑσιν, ἔ γ' τέλος
ἔχει τὴν ἀπάτην ἀλλὰ τὴν σωτηρίαν. Cum non facta, sed cau-
sæ reddant rem honestam vel turpem. Unde rectè
statuitur: πότε τὸν ὀρθῶς ἐκλόδομενον καὶ περὶ αὐτῶν ἢ ψεύδους ἐκ-
λεύσασθαι, ἢ ἐπιτιθεῖν ψεύδητα πρὸς πῖνα ἢ ἐχθρὸν ὄντα, ἢ να σφά-
λη αὐτὸν, ἢ φίλον, ἢ ἐκκόψη αὐτὸν ἀπὸ κακῶ. *Utilitas com-*
munis non minùs exigit interdum ut falsa defendan-
tur, vera taceantur. Ex quo aliis videtur summus
magistratus fingendo, reticendo, vel detrahendo, per-
plexa inferendo, veritatem licite provocare posse à
partibus tam in civilibus quam criminalibus.

§. 2. Alia ἐκ τῆς προαιρέσεως, alia culposa, alia inci-
dens. Illa dolum, hæc alios effectus operatur. Alia
jocosa, captiosa, lucrosa.

§. 3. Alia propria, alia impropria. Prior vocatur
occultatio dissimulatio s. celatio: ad posteriorem re-
fertur: *Mendacium, falsum, suppressio, interversio,*
silentium, fictio, sub-obreptio, dolus, collusio, subin-
tellectum, reservatum mentale, dictum, laudatio,
adfirmatio, omissio. Quæ tamen omnia quomodo con-
veniant, quomodo discrepent, infra notabitur.

§. 4. Alia implicita, alia explicita, alia in commit-
tendo, alia in omittendo s. quod idem, in faciendo
& non faciendo, s. positivè & negativè talis. Alia in
dicendo, alia in faciendo. Implicita est: in responso
Batavorum Sinensibus reddito: Sumus Hollandi,
cum rogarentur an Christiani essent. Et talia crebra
in æquivocationibus cum verborum simplicium, tum
præpositionum, usitatis Manistarum & aliorum
Sectis. Vocaturque talis reticentia perplexa, cum
non videatur reticeri sed dici, id quod est, id tamen
agatur,

agatur, ne intelligatur, propter erroneum s. dubium, s. multiplicem significandi modum. Nec movet: qf. reticentia ad factum referri nequeat: Nam dupliciter exprimimus mentem & voluntatem, verbis & notis, illa dictis, hæ factis serviunt: Et notæ, quibus animi conceptus indicantur, æquè continent obligationem mutuam ac verba. Aliæ vero non æquè. Unde notis non habentibus talem obligationem uti licet, quamvis prævideamus futurum; ut alter inde falsam concipiat opinionem. In verbis *πολυσημία* involvens, reticentiam, qualis esse debeat, ut toleretur. Vid. cap. de form.

§. 5. Alia est personarum, rerum, jurium s. qualitatum, tam in realibus, quàm personalibus. Alia est in negotiis s. Jurisgentium v. g. Juramentis, Fœderibus, Pactis, Sponsalibus, s. Civilibus, ut Emtione. Vid. infr. c. 4. in fin.

C A P. III.

Forma consistit in occultatione juris s. circumstantiæ alteri notæ, alteri non, scitu v. ne decipiatur, necessariæ & intellectu primo vel sensu non perceptibilis, in obligatione, quæ vel expressè vel implicite *φανερότητι* postulat. Scire a. & celare sic accipimus, non solum, si quis non admonuit in certis negotiis sed & si negavit tale quid negotio inesse vel abesse cum esset ab eo quæsitum, teneturque, licet dubitative responderit: v. g. Si dixit: nulla quidem servitus debetur à fundo vendito, verùm, ne emergat inopinata, metuo. Et id egit, ne cognosceret emtor servitutem deberi: Et generaliter: quotiescunque improbato more versatus fuit, non si securitati suæ prospectum voluit. Non videtur a. celatus, qui scit; vel
citra

De Forma

citra laborem scire potuit, nec certiorari debuit qui non ignoravit. Unde vitiosi visibilis, v.g. grandinum in porcis, ruinositatis in domo &c. nulla est reticentia. Sed tum cum intellectus in errorem inductus movet voluntatem ab intellectu dependentem, ut quid appetat vel velit. Fit hoc s. non dicendo, s. dicendo quidem sed aliud disconveniens conceptui, faciendo s. non faciendo, patiendo, ut erret alter falsum concipiens. Ex quibus patet quomodo differat hæc celatio ab aliis affinibus, de quibus jam jam. Nam *Mendacium* quid à re disconveniens est, sed non movet semper & sic sine effectu, imò pro objecto habet dictum vel notam non verò non dictum, s. omissionem notæ. *Falsum* semper est cum dolo, seu voce, scripto s. facto constat. Et imitatio veritatis, v. g. nominis, sigilli, familiæ s. alius quamvis & occultatio veritatis in falsi crimen veniat de qua infr. Imò qualitas occultationis est magè, quàm occultatio. *Suppressio* die *unterschlagung*. Pertinet ad res tantum v. g. partum, tabulas Testamenta, instrumenta alia, rescripta, ut: Si magistratus inferior s. officialis superioris jussa non publicat s. publicum s. privatum tangant. Quod si enim mandatum orale accepit, reticentia magis est: Præterea suppressionem ubique vestit qualitas falsi, interdum cum, interdum sine spe lucri pecuniarii, s. vindictæ, sive alterius *πρόξυς* vel *ἰδός*. *Interversio* est, itidem rerum sub qualitate falsi, sed semper cum spe lucri acceditque propiùs ad naturam furti, ut in peculatu, residuis, repetundis. Negari tamen non potest hanc habere tot cum suppressione communia, ut ægrè discernantur. Nisi malis hanc esse cum contrectatione s. quasi, non illam, ut in dictis exemplis, cui adde,

de, rerum amotarum, in inventarium non relatarum
f. ab herede f. tutore f. curatore. *Silentium* das stille-
schweigen / f. Ethicum f. Juridicum. Illud servat me-
diocritatem inter nimium & parum in loquendo. f. c. 1.
Hoc a. consistit in non respondendo f. non agendo
cum posses vel deberes, & alteri jus demit, alteri ac-
quirit. Quod in præscriptionibus clarum. It. in pro-
vocationibus ad agendum ex l. diffamari & l. si con-
tendat, aliisque locis. *Fictio* contra veritatem ali-
quando est ut in l. Cornelia de mortuis apud hostem
in Publiciana de possessione nondum usucapta qf.
tali. Aliquando secundum veritatem ex ratione, ut
in fictione identitatis personarum inter patrem & fi-
lium. *Sub-obreptio* non est ipsa reticentia, sed vitium
falsæ narrationis & per eam factæ impetrationis die
erschleichung: inducitur a. eo quod vera relata sunt
simpliciter, f. falsa narrata, vel utrumque factum.
Singularis ergo modus obreptionis est reticentia.
Dolus tanquam conceptus genericus & in plures spe-
cies divisibilis est, sub quo continentur narratæ spe-
cies omnes, quantum vel tacendo, vel mentiendo, f.
falsando f. supprimendo f. intervertendo commit-
tuntur. Dolus a. bonus quantum incidit in reticen-
tiam facit eam permissam aliquando de quo c. 2. §. 1.
Collusio ad delicta pertinet tam in fictis & fraudu-
lentis manumissionibus earumq; causis occultis quam
aliis accusationibus calumniando; tergiversando,
prævaricando, contra Turpilianum. *Tacitum subin-
tellectum* tacitè venit inestque contractui f. negotio,
idemque quod Tacitum inexistentis ut præstatio do-
li, culpæ & eorum quæ quis expressurus fuisset si de
eo cogitasset. Et hoc non datur alii ignorantibus cum id
quod ex natura negotii venit, contrahentibus ex æ-

B

qui

quo notum esse debeat. Unde de celato vel reticito
agi non potest nec excipi. *Reservatum mentale* dif-
fert plurimum à subintellecto, illud est præter vel
contra mentem contrahentium, nec si non expressum
est, attenditur, hoc ex mente tacita & negotii qua-
litate per æquitatem & interpretationem suppletur,
& ex hoc resultat æqualitas, ex illo inæqualitas, do-
lus, & alia corrigenda debitis remediis juris. Nec
interest an reservatio verbo *πολύσημω* adumbrata, vel
non dicendo, sed præsupponendo, inferendo, affir-
gendo, aliter concipiendo, ut quamdiu hæc terra fir-
ma erit, in castra redito, dies paciscimur inducia-
rum, &c. & simili æquivocatione fundata sit. Nulla
n. ferè vox est, nulla oratio quæ non ambiguitatem
sensus recipiat id est primæ & secundæ significatio-
nis, quidquid tamen est s. præter naturam negotii s.
mentem contrahentium, non attenditur. Et *τὸ πολυ-
σημίζεν* toleratur, si significationis falsitas, DEI ho-
nos, amor proximi, reverentia erga superiores &
qualitas negotii i. e. voluntas intrinseca non repu-
gnant: de qua in Tacito sub intellectu: & est ea quæ
in mente præsumtâ consistit, & æquè in foro non tantum
Poli sed & Soli operatur, ac expressa pro qualitate fa-
cti. Videant ergo quomodo se à perjurio liberent
convenientes de jurando citra mentem obligandi,
cum id sit præter intentionem jurantium s. jurari vo-
lentium, & in omni jurante triplex requiratur vo-
luntas. 1. Jurandi, 2. Juramento se obligandi. 3. Ju-
ratum exequendi. Reticentia quædam in juramento
licita, sed ea non extendenda ut aliis peccandi cau-
sam det, imo inculpata esto, licet alius inde falsam
hauriat persuasionem. Nocumentum inde sequens
extrinsecum esto, & per se non illicitum procurari
vel

vel optari, nec improprium negotio, sed connatum, id est consistens in iudicandi libertate. Quippe debent hanc sibi homines colloquentes quasi pacto quodam tacito, de quo supra & hoc introduci mutuò voluerunt. In hoste quid ergo? nec in hoc conceptus jurandi alienus reservandus. Hinc illud hostium: Foedera violare, Deos est contemnere, verboque circumvenire, extra ea, verbis hostem decipere, iustitiam habet, & gloriam, imò voluptatem: τὸ μὲν σπεισόμενον αἰδικεῖν, τὸ θεῶν ἔστι καταφρονεῖν, ἐν δὲ τῷ πωρολογίζεσθαι τὰς πολεμίας, ἔ μόνον τὸ δίκαιον, ἀλλὰ καὶ δόξα πολλή ἢ τὸ μεθ' ἡδονῆς κερδαίνειν ἔνεστι. Aliàs, ut quis ex negotio futuro obligetur distinguendi sunt aliquot casus in loquendo, de futuris quæ nostræ sunt potestatis vel fore putantur. Quorū recensebo principales. Et cum sit assertio explicans de futuro animum qui nunc est, ideo, ut vitio careat, 1. spectatur veritas cogitationis pro tempore præsentis, non a. ut in eâ cogitatione perseveretur, cum mens humana habeat non tantum naturalem potestatem mutandi consilium, sed & jus. Etsi in mutatione sententiæ vitium est, id non est intrinsicum mutationi, sed materiæ, v. g. quia prior sententia melior. 2. Ut voluntas se ipsam pro futuro tempore determinet cum signo sufficiente ad indicandam perseverandi necessitatem, vocaturque pollicitatio, quæ seposita lege civili obligat quidem, sed alteri jus proprium non dat. 3. Ut ad talem determinationem accedat signum volendi jus proprium alteri conferre quæ perfecta promissio. Et talis est in negotio futuro de servanda promissione &c. Vid. infr. de juramento. Porrò distincta sunt, si quis se non putans jurare verba jurantia protulit animo compote & deliberato: Et, si

B 2

sciens

sciens volensque jurare cum animo se non obligandi verba jurantia dixit, quia obligatio à juramento est inseparabilis & effectus ejus necessarius. Cum jurans in actu jurandi & negotiandi verba sic vera facere debeat, ut putat intelligi ab eo cui jurat. nam ut mens deferentis concepit, ita servandum negotium, & jurans conveniensque duo præstat 1. ut verba animo congruant i. e. τὸ ἀληθορκεῖν. 2. Ut verbo factum congruat, i. e. τὸ εὐορκεῖν, duo v. cavet, τὸ ψευδορκεῖν, in priori, τὸ ἄπλορκεῖν, in posteriori. DEUS in testem sumtus accipit verba, ut is, cui juratur, non qui jurat, intelligit. Nam:

Qui non ut juras, sed ut is jurasse puravit

Cui juras, audit: sic es utrique reus.

Patet hic differentia reservatorum in juramentis & aliis promissionibus: nam in illis, non oportuit locutione quæsitæ verbum adulterare, sed ut mente concepta fuerant eloqui, in promissis nil quidem dolo agendum est, in termini tamen facile subintelligitur juxta dicta, conditio quædam tacita promissorem exolvens, itaque alium inducens ad jurandum reticentia rei, quam si aperuisset, alius juraturus non erat, promissum exigere nequit. At si dubium an etiam sine eo reticito juraturus fuisset, standum erit verbis, quia simplicitas maximè convenit juramentis, & jurans tenetur ad implendum. *Laudatio* s. commendatio non tantum dicit id quod inest boni sed & amplius, ut: fundus optumus maxumus &c. imo omne quod sciri quis vult, cujus contrarium est in reticentia. *Dictum* est simplex assertio de re communiter tali. *Adfirmatio* non pertinet ad laudem s. virtutem tantum sed & præstationem habet. *Laudatio* v. non habet, ideò multum interest an commendandi causa tantum quid dixerit, ut faciliùs emto-

rem

rem inveniret, an adfirmaverit cum obligatione præstandi, ich wils euch so gewehren. *Omissio* ad omnes species quodammodo pertinet, nec tamen omnis reticentia fit omittendo §. 4. c. 2. Necessarium itaque sit revelatu, cum ei, qui ignorat, tum ei, qui non quærit, secus non omnia quæ tacentur, occultantur, sed ubi *deceptionis* agitur. Sic cum quis virginem se emere putasset, cum mulier venisset, & sciens eum errare venditor, passus sit, redhibitio ex eâ causa non est, ex emto tamen competit actio, & *patientia errandi*, non est formaliter reticentia; plectitur tamen: gravius v. peccat inducens alium laudatione ad errandum, quàm non impediens errorem alii ex falso conceptu natum. In hoc errore distinguitur circa eum, qui est de substantia rei, & de aliis, qui dedit causam contractui, vel non, circa actiones bonæ, & stricti juris, qui vincibilis, qui invincibilis, qui juris, qui facti. *Dubitatio* an reticentiam operetur? quæri solet. Est v. ea, quâ quis inter scientiam & errorem hæsitat, nec alterutrum adhuc ex duobus contrariis elegit. V. g. Si dubitat, an hoc vitium insit rei vendendæ, an non? propriè ignorat, cujus animi cogitatio de alia re non subiit, dubitat a. qui utrumque sub æquali incertitudine complectitur. Et Neg. Cum dubia non sint nota, nedum ignorata, proin nec celata. Porro qui rem notam habet, ut supra dictum, s. habere debet, s. potest, si supina absit negligentia, de reticentia queri nequit. Unde si eidem revendo rem ante mihi venditam, de reticentis qualitatibus, quæ in prima venditione inextiterant, excipere non licet, & has dici nihil attinet, ex præsupposito notas, quæ scientia par pares facit contrahentes. Ille feret pretium pœnæ securus opinor Prudens

emisti vitiosum. Una reticentia num per alteram compensetur quæri solet? Et affirmativa placet Dd. si in una re in commodum, in alia re in incommodum quid celatum, ut ex utroque non magna resultet inæqualitas.

C A P. I V.

De Objecto.

HOc constituitur triplex. 1. Personarum. 2. Rerum. 3. Jurium tam in se quam ratione factorum & circumstantiarum. Personæ dicuntur magis occultari, de quo suprâ cap. 1. §. 2. ut fugitivæ, delinquentes. Res itidem materialiter consideratæ occultantur, formaliter i. e. ratione qualitatis inhærentis non occultantur ipsæ sed jura circa illas. Hæc sunt alia realia, alia personalia, ut jus hypothecæ, servitutis, dominij possessionis hereditatis, litigiosi, furti, rapti &c. Horum personalium alia sunt personalissima. V. g. vitium deflorationis in Sponsa, impotentia in utroque s. morbi contagiosi, vitij animi vel corporis in mancipio vendito. Hæc jura non personarum sed circa personas considerantur, in electione ad honores & dignitates, tam Ecclesiasticas, quam seculares; Quid si ergo sexum mentita pervenisset ad Pontificiam vel regiam dignitatem, s. prætoriam uti Barbarius Philippus? Ob vitiū occulti rejicitur. Simile in feudis, quæ fœminas & vitiosos excludunt: sin obreptum fuisset successioni per reticentiam, de reticito excipitur. Idem in Sponsalibus: Si putem Titiam esse Cajam, nec illa contradicat me sic eam appellante s. tractante, si consentiam in Mæviam quasi virginem, & illa vitium sibi oblatum supprimat, vitiatum matrimonium: utroque casu. Hæc occultatio generaliter in quævis negotia potest incidere, v. g. contra-

contractus, testimonij dictionem &c. diciturq; com-
muniter *dolus* paritque plerumque eosdem cum hoc
effectus, vel *Error*, (de quo alibi) in personâ. Re-
ticientia venit in rebus ut talibus 1. Amotis de qui-
bus t. t. t. t. 2. in inventarium non relatis. 3. Caducis
non denunciatis, 4. vacantibus, 5. fideicommissore-
lictis, 6. bonis prædatitijs, 7. instrumentis, 8. ju-
mentis in specie, 9. alijs mancipiis vel rebus vendi-
tis, 10. furto subtractis & absconditis imò receptis
domo. 11. Inventis, ita ut eas alius quidē amiserit, nec
dum tamen animo possidere desierit, s. desierit, ut in
thesauris inventis quovis modo in alieno loco s. pu-
blico, s. privato, s. artibus illicitis, s. casu, s. licito
modo. Deinde in rebus ratione jurium, v. g. 1. in
rebus itidem furtivis, non quâ rebus, sed quâ haben-
tibus vitium furtivitatis, 2. in raptis, eodem modo.
3. Tributariis vel vectigalibus ratione tributi vecti-
galisve non soluti. 4. In emphyteuticis censiticis
contribuilibus, & alijs eodem modo se habet occultatio
ut in furtivis, nam hæc bona s. occultantur
planè ut talia, vel reticetur tantum qualitas inhærens
emphyteutica, censitica, ut in feudis, feudalis, vel
reticentur jura de præterito, s. onera *die aufgeschwol-
lene*. Dicta extendi possunt ad omnia bona quibus s.
qualitas non communis, s. non præsumta in hæret,
vel ex quibus onera certa debentur, v. g. accisia,
steura, *Accis / Steuer / Schos* / s. professio relicta sit
fidei conscientie & Sacramenti *daß ein jeder auf seine
pflicht ansage* / s. alio modo fiat. Occultantur jura
porrò v. g. depositi, commodati & breviter dominij
alterius, s. juris in re, s. juris ad rem. Imo in alijs
negotiis v. g. Pactionibus, Foederibus, Juramentis &
conventionibus qt. in facto s. jure consistunt s. eò refe-
runtur

runtur certæ circumstantiæ, & ita in genere commune objectum Reticentiæ statui potest omne negotium civile s. publicum, s. privatum qt. in eo certæ circumstantiæ occuluntur. *Jura* celantur etiam: v. g. Si tutor non manifestat creditum suum pupillare. Personæ privilegiatæ sua privilegia, miles militiæ, pupillus s. minor, *ætatis* s. se majorem dixit, s. cum major esset minorem, s. alia persona ex statuto s. peculiari gratia sibi competentia jura, ut exemptionem à foro, jure communi &c. quæ alius scire non poterat.

C A P. V.

De Effectibus.

Quin ex reticentia mandata & prohibita obligatio in conscientia oriatur dubium non est. Cum & civilem actionem producat, quæ simul illam infert. De permissa magis dubium videtur. Et sciendum quod jus Civile inter cetera actus ex Jure N. fluentes ad rempubl. in singulari pro rerum necessitate sic formet ut s. detrahat, s. adjiciat, s. permittat quædam, quibus observatis negotium civile subsistit. Cum enim Jus N. in genere & pro usu communi actus circa res & facta hominum definiat, nec præscribat, quomodo quis s. alium sibi s. se aliis obligare debeat, ideò recte Jus Civile Juri N. aliquid detrahit, v. g. ut sit inæqualitas quædam in pretio, in merce, ne mercator frumentum advehens indicare teneatur plures affore mox frumentarios, &c. non quidem aliquid jubendo quod suâ natura est illicitum, sed ex ratione Politica non assistendo Juri N. vel permittendo quædam, quæ conditio rerum humanarum non aliter fert. Quia v. Jus Civile talia non adprobat sed tantum permittit, & cujusque conscientiæ, quam legis-

legislator adeò accuratè scrutari nequìt, committit. Ideò eum, qui fraudulenter in his contra jus N. aliquid agit, ac in conscientia injustitiæ convincitur, non absolvit. Quod fit, si injustitiam dicitur ratio, vel si dubitat, an id permissum etiam honestum sit. Sicut enim in moralibus minimæ circumstantiæ naturam variant, & formæ, de quibus agitur, solent habere interjectum quid eâ latitudine, ut ad hoc modò, modò ad illud extremum propiùs accedat: Ita inter id quod fieri oportet, & id quod fieri nefas est, medium habetur quod licet, sed modò huic, modò illi parti propinquius. Quoties igitur id, quod re ipsa justum est, ab eo fit, qui omnibus expensis injustum id existimat, actus est vitiosus; Et cum talis obligatio in conscientia oriatur ex contraveniendo dictamini rectæ rationis, quod se fundat aliquando in honesto tantum, aliquando in licito, hoc v. non sit omnibus idem, ideo regulariter dicendum, eam inde oriri, licet æquè non oriri possit. Quod jam attinet obligationem forensam ex reticentia, hæc varios producit effectus quorum recensentur principales, ut: 1. actio & exceptio doli vestita qualitate reticentiæ æquè ut aliæ actiones tributariæ, noxalis, institoriaræ &c. propter modicum damnum ex reticentia non datur, nec si alia suppetit actio, nec si suppetiit, tempore verò mortua est, nec si personæ debetur reverentia. Alias enim succedit Actio in Factum verbis temperatis ut nudum factum reticentiæ narretur, & iudex ex æquo reticentiam arbitrari rogetur. 2. Remedium nullitatis: si reticentia dolosa dedit causam contractui, & quis, cum animum contrahendi non haberet, citra conceptum hujus vel illius qualitatis, quasi præsentis, ex præsupposito, ut contraheret,

C

per

per reticentiam inductus est. Dictum verum est ex parte læsi. Quodsi v. lædens i. e. reticens convenitur: non quidem actione nullitatis, sed ad interesse s. quanti minoris ex reticentia: an & hic potest excipere de nullitate, & rem repetere refuso pretio, an tenetur præcisè ad interesse s. supplementum? Et dici debet, quod non excipiat de nullo, cum à parte ipsius consensus fuerit perfectus, ab alterâ v. rati habitio per actionem ad interesse &c. inducatur. 3. Rescissio ex l. 2. c. de rescind. emt. v. applicata non tantum emtioni, sed & aliis contractibus, æquitate sic suadente. Nam in contractibus natura æqualitatem imperat in tantum, ut minùs habenti, oriatur jus ex inæqualitate. Hæc inæqualitas consistit partim in actibus præcedaneis, partim principalibus. Ad præcedaneos pertinet, quod is, qui cum aliquo contrahit vitia sibi nota rei de quâ agitur, indicet. Ad principales, ut æstimatio attemperetur valori rerum contravenientium: Cum vero is adeò proportionatus Geometricè esse non possit, ut non aliqualis inæqualitas resultet, omnes v. contractus in foro propterea rescindi nequeant, ideò determinatum est, ut læsio ultra dimidium justii pretii s. ex reticentia, s. alia re, demum ei locum faciat. Ergo ea quæ sunt extra pretium, non considerantur & quæ rem non contingunt, dici, jus non præcipit. Ut si quis sciat multas naves in cursu esse, quæ similis merces advehant, tale quid indicare officiosum & laudabile est, adeò ut omitti nequeat citrà violationem caritatis, non tamen injustum i. e. non pugnans cum jure ejus quicum negotium est. Nec reticentum dicitur, sed celatum. Et sic accipi debet vulgatum. Non quidquid tibi audire utile est, idem mihi dicere necesse est. Contra alij ajunt: ὅταν γὰρ ἐν τοῖς συμβολαίοις, καὶ ἡνίκα δὲ ἀν' ἀγορῆσιν δεῖν, ἢ καὶ ἀποδόσθαι φιλονεικῶμεν καὶ διαζώμεθα ἑλαττον τῆς ἀξίας καταλαβεῖν, καὶ πάντα ὑπερτέτρα ποιῶμεν, ἢ ληστῆα τὸ πρῶγμα ἐστίν. Philosophi tollunt inæqualitatem quantum ratione, Jcti qt. manu teneri potest. Licet in contractu id utriusque propositum sit s. esse debeat ut uterque tantundem habeat. 4. Actio prætoriana ex factio reticentia ad interesse. Hæc à præcedenti cum aliàs tum in hoc differt, quod non tollat. sed servet contractum. 5. Restitutio in integrum ex l. 1. §. 2. ff. d. dol. Cum reticentia æquè ad dolum pertineat ac alia quævis cal-
liditas.

litas. Imo omne id, quo aliud agitur, aliud agi simulatur. Sed nonne nullus est contractus ideoque restitutione non opus? A. si reticentia causam dedit contractui b. f. sin contractui stricti juris, competit exceptio doli. Sin ex re oritur s. ad rescindendum l. secunda, s. ad servandum cum præstatione interesse agitur. Nec tantum ex d. l. i. d. dol. Sed & ex clausula generali l. i. §. fin. ex quib. caus. maj. restitutio peti potest, propter ejus rationem, quæ in hoc consistit, quod quilibet ob impedimentum, quod avertere nequibat, læsus, restitui debeat, s. id procedat ab ipso qui læditur, errore scilicet: s. à persona adversarii, s. à persona tertii procuratoris s. mandatarii, s. proxenetæ reticentis, mensoris falsum modium referentis, inspectorum ad inspiciendum missorum, s. à casu fortuito. 6. *Actio redhibitoria*: qua venditori res redditur, & omnia restituuntur perinde ac si venditio contracta non esset, dummodo fuerit objectum circa quod locum habet, & ratione vitii reticiti, non omnis sed lege determinati & intra præscriptum tempus, quæ explicat edictum ædilitium. Quid si plures res venditæ, & in una vitium reticatum, omnes redhiberi possunt? A. Si universim venditæ non statuto pretio in singula capita, s. si res singulas habere non placet, nec conducit. Ut v. redhiberi possit tempore venditionis celatum esse debet vitium. 7. *Quanti minoris* s. æstimatoria; per quam emtor à venditore partem pretii repetit ob rei morbum, vel vitium celatum, in tantum, quanti minoris fuisset emtorus, si id scivisset, cujus 2. causæ esse possunt s. si vitium celatum, s. si res non deprehenditur talis, qualem venditor tempore venditionis dixit. Peculiare est in venditione jumentorum & mancipiorum, quod vendentes licet ignorent, tamen celasse dicantur, & hac actione teneantur, cum superius dictum in aliis negotiis reticentiam non esse, nisi adsit scientia. 8. *Actio furti*, quod sic accipiendum, non quasi ex omni reticentia rei oriatur, sed vel rerum alienarum à nobis contrectatarum cum occultatione ut in rebus inventis, naufragis, furtivis &c. vel jurium alienorum in rebus nostris, ut in re commodata pignorat. 9. *Pœna extraordinaria* in rebus vectigalibus, vacantibus, caducis, tributariis, s. alias onerosis, vel in totum, vel quoad jura fisco, vel alias Magistratui competentia, interversis, Nec obstat quod

10. *Confiscanda* sint talia bona. Nam usu id non servari, & circumstantias mitigare talem rigorem certum est, idq; verū in bonis, vectigali, censui, tributo, qualitati feudali, emphyteuticæ, censiticæ, fideicommissariæ, s. alii subjectis. Successit tamen alia pœna sc. 11. Extraordinaria arbitraria pro circumstantia facti. 12. Reticentia parit impedimentum, ne Dominium transferatur, imò nec usucapiendi causa, quoties vitium à re est inseparabile. 13. Imò & præstationem *Eviçtionis*, dat eamq; non tantum in rebus emtis, sed & aliis contractibus onerosis, v. g. permutatione, datione in solutum, divisione rerum communium s. hereditatis, transactione, locatione, emphyteusi, feudo, dote. Cum a. ad eam obligemur ex natura contractus, agi potest illa actione, quæ vi contractus competit, s. itidem ex stipulatione, quoties hæc intercessit. Quippe ex arbitrio contrahentium pendet stipulari duplum tripulum rei & amplius, si quid reticitū fuerit, v. g. Ob jus retractus iure consanguinitatis s. pacti aliis competens reticitum. 14. Reductio ad arbitrium boni viri si læsio enormis ex reticentia propululat. Ubi iudex ordinarius reducit. Non admittunt quidem Dd. reductionem contra sententiam arbitri ex reticentia malè latam, sed dant exceptionem doli. 15. Correctio testimonii post factam depositionem propter omissum s. reticitum, an testi permissa? A. ejusque haberi in sententia ferendâ ratio debet; secus est in iudice celante & supprime aliquid in sententia, qui tamen aliis remediis coërcetur. 16. Probatur reticentia per conjecturas ductas à circumstantiis, juramentum, inspectionem, evidentiam facti & alia. 17. Oritur ex reticentia præscriptio si non usus accedit. Plura dicere non licet, ideoque finem facio gratias agens infinitas.

DEO TER OPTUMO TER MAXIMO.

An quis ob juramentum de reticendo se possit excusare à testificando? Neg.

An hic opus absolute? N.

An Testis reticens crimen potest torture subjici s. terreri? A.

An si reus informatorium in criminalibus acceperit à Scabinatu, id reticere possit, protestando contra omnes alios? N.

Reticentia sagarum obdormiscentium inter tormenta esse potest ex non loquendi potestate. Mare potest possideri.

Subfeudum aperitur subinfeudantis familia extincta.

Dispositio Testamentaria de feudo valet in Imperio.

Non omnes usuræ prohibitæ sunt J. Canon:

F I N I S.

Duisburg, Diss., 1661-33

(1)


ULB Halle
004 527 046

3



Sb

107



JURIDICA
R A L I S, 400
1671
SENTIA: *3*

Silentium
ALTISSIMI
Consensu

ENTISSIMÆ & CON-
JURIDICÆ, IN CELEBER-
NSI ACADEMIA,

Honoribus & Privilegiis
imè impetrandis,

chibet

CHNEIDER
NIUS.
o. Julij.



ad RHENUM,
S A S, Academ. Typogr.
DC, LXXI.